Determinatio theologicę Facultatis Pariſieñ. ſuper Doctrina Lutheriana hactenus per eam viſa.



Vęnundatur in officina Aſcenſiana ſub cautione ad calcem explicanda.

DECANVS ET

Facultas Theologiæ Generalis Scholę Parisiensis omnibus Christifidelibus cum syncęro catholicę veritatis amore, Salutem.



Aulus ille vas electionis, Euangelicusq; tubicen, & gentium doctor: Timotheum instituens, vt curet se ipsum operarium inconfusibilem & probatũ exhibere deo, recteq; tractantem verbum veritatis: prophana hortatur & vaniloquia deuitare: quoniã hæc multum proficiunt ad impietatem. Nam si semel recepta fuerint mox serpet venenum, & obsolescet catholicæ doctrinæ vigor. Siquidem hęreticorum sermo si animos aliquando simplicium occuparit, semper latius diffundetur: eosq; fallacibus errorum inuolucris, quasi tenaci visco inuoluens: sensim a veritate ad impietatem nimiam deturbabit: & perinde ac cancer morbus serpet: qui vbi corpus vi-

uentis attigerit,non desinit paulatim vicinas occu-
pare partes,donec intulerit exitium. Pleraq; huiuſ-
ce rei exempla recenſere perfacile eſt.Nam cum ad
huc in adoleſcentia ſua eccleſia Chriſti ſponſa flore
re cœpiſſet:ſurrexere viri mendaces & impii, qui a
veritate excidētes,fidē illius ſubuertere molirētur:
quales fuerūt,Hermogenes, Philetus, Hymeneus,
& poſt illos Ebion,Marcion, Apelles, deinde Sabel
lius,Manicheus,Arrius.Seneſcētevero eadē & pau
lo ante tēpora noſtra,Valdo,wiclef,& Ioānes Hus.
Hac etiā tēpeſtate, de progenie illa viperarū ſubor
ti ſunt:prohdolor filii nequā:q ſpecioſę matris non
habētis maculā neq; rugā,vnionis vinculū ſchiſma
tice diſcindere conant̄:vere ſimiles viperulis.vt em̄
illę corroſis matrum viſceribus non exeunt priuſq̄
eas extinxerint : ita hi parentem eccleſiam exitiali
ſuorum dogmatum peſtilentiq; veneno, multiplici
nouarum inuentionum fœtura:dum iuuare viden-
tur & venerari (licet inextinguibilem) potius ta-
men quantum in ſe eſt interimunt:non ferentes cū
ipſi ſint,& ancillę filii,& illegitimi:immo diaboli ge
nimina,matris eccleſię liberos legitimoſq; filios,niſi
eos ſuis peſtiferis doctrinis inficiant : & venena-
tis iaculis contorqueant : ſatagentes ſpeciem ma-
tris ac decorem temerare & contaminare . Cuius
tamen facies ſemper eſt & erit gratiarum plena:
ſplēdidiſſimuſq; ornatus. Ipſa enim veluti Regina

a dextris sponsi sui in vestitu astat deaurato circũ-
data varietate, Legum, ceremoniarum, sacramento
rum, & bonorum omniũ ad praesentem vitam fu-
turamq; conducentium. Hinc virulentis suis scri-
ptis & sermonibus illam lacerare non cessant, &
pro viribus deturpare satagunt. Inter quos vnus
vel praecipuus existit quidã Martinus Luther quã
tum ex scriptis compluribus eius nomine diuulga
tis coniectare licet, si modo titulo credendum est.
Ipse enim prenominatorum hereticorum dogma-
ta (instar preuaricatoris Ahiel qui contra Iosue im
precationẽ reedificauit Hierico) instaurare studet
& noua confingere: qui cum ad sobrietatem sapere
minime didicerit, plus vnus sapere presumit q̃ cete
ri omnes qui in ecclesia sunt aut fuerunt. Omnium
nempe vniuersitatum scholis suum ausus est prefer
re iudicium: priscorum quoq; vel sanctorum docto
rum ecclesiae sententias contemnit: &, vt ad impie-
tatis cumulum addat, sacrorum sanctiones concilio
rum eneruare cõtendit, quasi scilicet ad fidelium sa
lutem necessaria Luthero soli deus reseruarit, quae
preteritis seculis nesciuit ecclesia, & ad hec vsq; tẽ-
pora in tenebris & errorum cecitate suam spõsam
Christus dimiserit. O impiam & inuerecũdam ar-
rogãtiam? vinculis, censuris, immo ignibus & flã-
mis coercendam potius q̃ ratione conuincendam?
Nõne em̃ qui ita sentit & scribit prima fidei prin-

cipia abnegat, & impietatẽ palã profitetur? Nõne impium se prodit & infidelem quisquis orthodoxę fidei, sanctis ecclesiæ doctoribus, ac sacris conciliis credere dedignatur? Is nempe cui credet qui catholicę ecclesię fidem habere detrectat? Aut quomodo catholicis ascribetur, qui ecclesiam non audit? cum ex ore veritatis dictum sit: Si ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Porro ista est peculiaris hęreticorũ insania, vt scripturas ꝓ voto cõtorquẽtes sese eas solos credãt itelligere, solos se ad veritatẽ euangelii putent ambulare, solos se & quos falsa religione seducunt, salutẽ consequi arbitrẽtur, nec cuiuscũq; doctoris quantũuis sancti aut eruditi, sed nec ipsius ecclesię authoritatem suscipere velint contra eam quã semel sibi prefixerint scripturarum intelligentiam. Hoc comprobat insanus Mõtanus cum suis Prisca & Maximilla, sancti spiritus aduentum in se completum impiissime credens magis q̃ i apostolis. Hoc & impius Manicheus, q vanitate Luciferi seductus vsq; adeo delirauit, vt se spiritum sanctum a Christo missum assereret. Hoc item Secũdinus eiusdem Manichei discipulus, qui Augustinũ & catholicos cæteros errare cõfidenter asseuerãs, quasi eidẽ condolens Augustino scripsit se non inuenire quidnam ante ęterni iudicis tribunal positus, deserto Manicheo, respondere valeret. Mos nẽpe iste est hæreticorũ. At vero dum eccle-

ſiam audire nolunt,nec ferūt ſuaui chriſtianę diſci-
plinæ iugo colla ſubmittere,illudentibus ſibi ſpiriti
bus mendacii & erroris,in manifeſtos corruunt er-
rores,& pro fide execrādas profitent̄ blaſphemias:
quod Luther ipſe ſeu author quiſquis eſt opuſcu-
lorum illius editorum nomine , luce clarius demon
ſtrat:qui dum eccleſiæ & ſanctorum patrum ſaluta
ria reſpuit documēta,& hęreſiarcha fact9 eſt & vi-
rulentus veterū hęreſum innouator.De libero nāq;
arbitrio diſſerens Manicheos ſequitur:de cōtritio-
ne & iis quę eā pręcedūt, Huſſitas:wicleuiſtas ve-
ro de confeſſione.De pręceptis Begardos . Catha-
ros de punitione hęreticorum:de immunitate eccle
ſiaſticorum & euangelicis cōſiliis Valdenſes & Bo-
hemos:De iuramēto, conſentit hęreticis qui ſe ia-
ctitant de ordine apoſtolorum.De obſeruatione le-
galium Ebionitarum hęreſi propinquat.Cæterum
de ſacramentali abſolutione,ſatiſfactione, prępara-
tione ad euchariſtiā,ſcripturas nō aduertēs ſed per
uertens,itē de peccatis,de pœnis purgatorii,de ge-
neralibus conciliis,non ferēdos diſſeminat errores.
Sed & de philoſophiæ pręclaris inſtitutis perperā
loquitur ignarus , ſicut de poteſtate eccleſiaſtica,&
de indulgētiis multa.Nec tam peſtiferam doctrinā
euomuiſſe contentus, librum inſuper edidit,ſi titu-
lo creditur,cui de captiuitate Babylonica nomē in
didit,vſqueadeo variis reſperſum erroribus,vt iure

cum Alchorano conferri mereatur. In eo ſiquidem extinctas hęreſes & funditus extirpatas, quarū ne veſtigia quidem vlla reſtabant, ſuper his pręſertim quæ ad ſacramēta eccleſię ſpectant, ſuſcitare, ac in lucem reuocare totis animi viribus contendit. Scriptor quicūq; is eſt eccleſiæ nimirum Chriſti hoſtis perniciosus & antiquarum blaſphemiarum inſtaurator execrandus. Bohemorum namq;, Albigēſium Valdēſium, Heracleonitarum, Pepucianorū, Erianorum, Lamperianorum, Iouinianiſtarum, Artotyritarum, cæterorumq; id genus monſtrorum inſaniæ, per auctorem in eodem comprobantur libro, commendantur, extolluntur. Quare noſtræ profeſſionis eſſe agnoſcentes huiuſmodi pullulātibus peſtiferis erroribus magiſq; ac magis in dies excreſcētibus toto conatu obuiare, quid tandem nobis de huiuſmodi doctrina viſum ſit plane aperire voluimus, & noſtrā ſuper ea ſententiā chriſtianis omnibus publicare: ne, quod abſit, eliminata iam pridem tam multiplex impietas quātū in nobis eſt, vlterius ſerpat: & doctrina fallax a patre mendacii exorta fidelem inficiat populum dei.

Sollicitius itaq; p nos examinata ac maturius vniuerſa doctrina Lutheriano aſcripta nomini, & ad plenum diſcuſſa, execrandis illam erroribus ſcatere certo depręhendimus & iudicauimus, fidem potiſ-

ſimũ contingentibus & mores: Q̃ꝛ q̃ꝫ ſimplicis po-
puli ſeductiua ſit,omnibus doctoribus iniuria, po-
teſtati eccleſiæ & ordini Hierarchico impie dero-
gatiua,apte ſchiſmatica, ſacrę ſcripturę aduerſa,&
eius deprauatiua,atq̃ꝫ in ſpiritum ſanctum blaſphe
ma:& ideoveluti reipublicę chriſtianę pernicioſam
cenſemus omnino exterminandam ac palam vltri-
cibus flammis committendam.Authorem vero ad
publicam abiurationem modis omnibus iuridicis
compellendum.

Vt autem id clarius cunctis innoteſcat aliquot ex
prefatis ſcriptis excerptas ꝓpoſitiones ordine quo
dam digeſſimus, & noſtram cuiq̃ꝫ adiecimus cen-
ſuram patrum noſtrorum morem imitati,qui alie-
nus vtiq̃ꝫ non eſt ab obſeruata per apoſtolos lege
definiendi. Propoſito nãq̃ꝫ de legalium obſeruatio
ne dubio,quid ſentirent:ipſi paucis explicuerũt, ra
tionibus(cur ita definirent) nullis ſcripto manda
tis: quem modum quoq̃ꝫ decernendi ſacra conſue-
uerunt tenere cõcilia.Materię vero per nos diſcuſ-
ſę hę pręſertim quas impręſentiarum edere conſti
tuimus,ſecundũ ſuas inuicem connexiones ſequen
ti monſtrantur indice.

INDEX MATERIARUM EX VARIIS LUTHERI LIBRIS EXCERPTARUM PER THEOLOGIÆ VNIUERSITATIS PARISIEÑ. FACULTATEM.

Et primo ex libro de Captiuitate Babylonica.

De Sacramentis.
De constitutionibus ecclesiæ.
De operum æqualitate.
De votis.
De diuina essentia.

MATERIAE EX

aliis eiusdem Lutheri libris excerptę.

De conceptione beatę & gloriosę virginis.
De contritione.
De confessione.
De absolutione.
De satisfactione.
De accedentibus ad Eucharistiam.
De certitudine charitatis habitę.
De peccatis.
De præceptis.
De consiliis euangelicis.
De purgatorio.
De conciliis vniuersalibus ecclesiæ.
De hęreticorum pœna.
De legalium cessatione.
De bello aduersus Turcas.
De immunitate ecclesiasticorum.
De libero arbitrio.
De philosophia & theologia scholastica.

PROPOSITIONES ex libro Lutheri, qui de Captiuitate Babylonica inscribitur, collectę: & per theologorum Parisieñ facultatem damnatę. Scribentur autem propositiones ipsę maiusculis, & condemnationes minoribus characteribus.

De Sacramentis.

Recens est inuentio sacramentorum. Propō. I.

Hæc propositio innuens recenter ab hominibus inuenta esse sacramenta & non a Christo instituta, est temeraria, impia, & manifeste hæretica.

Sacramentum ordinis ecclesia Christi ignorat. Secunda.

Hæc propositio est hæretica: & est error pauperum de Lugduno, Albigensium, & Wicleuistarum.

Omnes Christiani habent eandem potestatem in verbo & sacramento quocunq;. Tertia.

Claues ecclesiæ sunt omnibus communes. Quarta.

Omnes Christiani sunt sacerdotes. Quinta.

Qualibet harum triū propositionum est ordinis Hierarchici destructiua & hæretica: & est error præfatorum hereticorum simul & Pepucianorum.

Confirmatio & extrema vnctio non sunt sacramenta a Christo instituta. Sexta.

Hæc propositio est hæretica: & pro prima parte est error Albigensium & Wicleuistarum: pro secunda vero Heracleonitarum.

Septima ppositio. Missa passim creditur esse sacrificium quod offertur deo : inde Christus hostia altaris dicitur . Sed euangelium non sinit missam esse sacrificium.

Hęc propositio quo ad secundã partem scilicet Sed euãgelium &c.est impia, in sacrosanctũ euangeliũ blasphema ac hæretica,prout vocabulo missa cũ Gregorio vtimur.

Octaua. Manifestus est error missam applicare seu offerre pro peccatis,pro satisfactionibus,pro defunctis,aut quibuscunq; necessitatibus suis aut aliorum.

Hæc propositio est in ecclesiam catholicã Christi sponsam contumeliosa & hæretica:& est Erianorum,hęreticorum,& Artotyritarum erroribus conformis.

Nona. Non est dubium vniuersos hodie sacerdotes & monachos cum episcopis & omnibus suis maioribus esse idolatras in statu periculosissimo agentes, ob missę seu sacramenti ignorationem, abusionem, & irrisionem.

Hęc ppositio est falsa,maxime scandalosa, vniuerso ecclesiastico statui contumeliosa, arroganter & stulte prolata. Et in eo quod prætendit neminem in statu salutis esse nisi qui huiusmodi erroribus acquiescit,cum Donatistarum, Ascitarum, & Apostolicorum perfidia conueniens,asserentium non nisi apud se remansisse ecclesiam dei.

Decima. Credo firmiter panem esse corpus Christi,ait Luther.

Hęc credulitas Lutheri est absurda,hæretica, & olim damnata.

Vndecima Negare laicis vtranq; speciẽ est impiũ & tyrãnicũ.

Hæc ppositio est erronea,schismatica,impia,& ex dãnato errore Bohemorum elicita.

Bohemi hęretici & schismatici non sunt nominandi, sed Romani. XII.

Hæc propositio est falsa, perfidię bohemicę impie defensiua & ecclesiæ Romanæ contumeliosa.

Matrimonium non est sacramentum diuinitus institutum sed ab hominibus in ecclesia inuentum. XIII.

Hæc propositio est hęretica & olim damnata.

Coniunctio viri & mulieris tenet quocunq; modo contra leges hominum contigerit. XIIII.

Debent sacerdotes ea omnia matrimonia confirmare q̃ cõtra ecclesiasticas vel pontificias leges fuerint contracta, in quibus Papa potest dispensare & quæ non sunt in scriptura sacra expressę. XV.

Vtraq; harum propositionum est falsa, ecclesiæ potestati impie derogatiua, & ex damnato Valdensium errore procedens.

Tota efficacia sacramentorum nouæ legis est ipsa fides. XVI.

Hæc propositio est efficacię sacramentorum nouæ legis impie derogatiua & hęretica.

Quicquid credimus nos accepturos esse reuera accipimus, quicquid agat, non agat, simulet aut iocetur minister. XVII.

Hæc propositio est absurda, ex erroneo scripturę intellectu asserta & hęretica.

Periculosum immo falsum est opinari pœnitentiã esse secundam tabulam post naufragium. XVIII.

Hæc propositio est temeraria erronee ac fatue asserta, ac beato Hieronymo illam ponenti iniuria.

XIX. Qui ſponte confeſſus ſiue correptus veniam petierit & emendauerit coram quouis priuatim fratre, non dubito a peccatis ſuis illum eſſe abſolutum.

Hæc propoſitio innuens laicos tam viros q̃ mulieres poteſtatẽ clauium habere, eſt falſa, ſacramẽtis ordinis & pœnitentię contumelioſa, & hęretica, cum errore conueniens Valdenſium & Quintillianorum.

De conſtitutionibus eccleſiæ.

Propõ. Neq; Papa neq; Epiſcopus neq; vllus hominum habet ius vnius ſyllabę conſtituendę ſuper chriſtianum hominem, niſi id fiat eiuſdẽ conſenſu: & quicquid aliter fit, tyrannico ſpiritu fit.

Hęc propoſitio eſt a debita ſubditorum erga pręlatos & ſuperiores ſubiectione & obedientia retractiua: legum poſitiuarum ſeditioſe deſtructiua, ac in fide & moribus erronea: & eſt error damnatus Valdenſium cum errore Erianorum conueniens.

De operum ęqualitate.

Propõ. Opera nihil ſunt coram deo, aut omnia ſunt ęqualia: quantum ad meritum attinet.

Hæc propoſitio eſt falſa, ſacris eloquiis aduerſa, atq; errori Iouinianiſtarum conformis.

De votis.

Propõ. I. Suadendum vt vota prorſus omnia tollantur, aut vitentur.

Hæc propositio est Christi doctrinę & sanctorum patrũ obseruatiõi qui vouere consulunt, contraria: ex errore procedẽs Lamperianorum, Wicleuistarum, & eorum qui se iactabant de ordine apostolorum.

Probabile est vota hodie nõ valere nisi ad operum iactantiam & pręsumptionem. Secunda.

Hæc ꝓpositio est falsa, statui religionis contumeliosa, & pręfatis erroribus consona.

De diuina essentia et forma corporis humani.

Istis nouissimis trecentis annis multa perperam determinata sunt: quale est essentiam diuinam nec generari nec generare, & animam esse formam substantialem corporis humani. Propõ.

Hæc propositio est falsa, ab homine qui alienus est a catholica ecclesia arroganter asserta: ac sacris conciliis generalibus iniuria.

Propositiones excerptę ex aliis Lutheri libris damnatę vt pręmissum est.

Et primo de cõceptione beatę Marię virginis.

Cõtradictoria huius propositionis, beata virgo est concepta sine peccato originali, non est reprobata. Propõ.

Hæc propositio est falsa, ignoranter, & impie contra honorem immaculatę virginis asserta.

De contritione & iis quę eam pręcedunt.

Propositio prima. Lege manifestata aut in memoriam reuocata mox sequitur augmentum peccati si gratia desit.

Hæc propositio loquendo de gratia gratum faciente, est falsa, a recta sacrę scripturę intelligentia aliena, & a meditatione diuinę legis retractiua.

Secunda. Lex ante charitatem non operatur nisi iram & auget peccatum.

Hæc propositio est falsa, piarũ aurium offensiua, in deũ & eius legem blasphema, nec intentioni Pauli conformis.

Tertia. Opera quæcunq; ante charitatem sunt peccata & damnabilia & indisponentia ad gratiam.

Hæc propositio est falsa, temerarie asserta, peccatorũ ab emendatione retractiua, & sapiens hæresim.

Quarta. Qui bonum opus aut pœnitentiam a peccatorum detestatione ante dilectionem iustitię incipi nec in eo peccari asserit, inter Pelagianos numerãdus est.

Hæc propositio est falsa, & ignoranter asserta, capiendo dilectionem iustitiæ pro ea quæ charitatem seu gratiam gratum facientem sequitur.

Quinta. Contritio quę paratur per discussionem, collectionem & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animę suę, ponderando peccatorum grauitatem, multitudinẽ, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, ac ęternæ damnationis acquisitionem, hęc inquã contritio, facit hypocritam, immo magis peccatorem.

Hæc propositio est falsa, viç ad pœnitentiam impeditiua scripturis sacris & doctrinę sanctorum difformis.

Sexta. Neq; timore neq; amore potest homo se erigere ad capessendam gratiam dei.

Hęc propositio est in fide & moribus erronea, oēm præparationem ad pœnitentiam impie auferens.

Septima. Sine gratia primo remittente culpam, nec votum remissionis quęrendę homo potest habere.

Hæc propositio est falsa, impia, & peccatorum ad desperationem inductiua.

Octaua. Christus nunq̄ peccatores coegit timore ad pœnitentiam.

Hæc propositio capiendo cogere pro inducere, sicut capitur frequenter in scriptura sacra, est hęretica.

Nona. Bonus est timor & vtilis licet sit insufficiens ꝑ quē paulatim fit consuetudo iustitię. De his verbis Augustini sequitur iudiciū Lutheri. Hoc est (inquit) meo iudicio consuetudo desperandi & odiendi deū si excludatur gratia.

Iudicium Lutheri de illo dicto Augustini Bonus est timor &c. est falsum, temerarium & impium, accipiendo gratiam, vt supra, pro gratia gratum faciente, sicut eā accipit scriptor.

Decima. Si Ioannes scilicet baptista timorem docuisset esse initium pœnitentię, non ideo sequitur pœnitētiam incipere a timore.

Hęc propositio est manifeste erronea, in Christum & inspiratam pręcursoris eius doctrinam contumeliosa.

De confessione.

Propositio prima. Ars confitendi qua hucusq; docti sumus arenã numerare, singula peccata discutere, colligere, atq; põderare ad faciendam contritionem, est ars inutilis, immo ars desperandi & perdendi animas.

Hæc propositio est falsa, impia, schismatica, & confessioni quę est ars lucrandi animas, iniuria.

Secunda. Confessio illa quę nũc agitur occulte in aurẽ, nullo potest diuino iure probari, nec ita fiebat primitus.

Huius propositionis prima pars est falsa, & ex ignorãtia iuris diuini afferta. Secunda est temerarie posita.

Tertia. Spiritualis defectus est soli deo aperiendus.

Quarta. Si oportet confiteri occulta cordis, tantum ea quæ pleni sunt consensus in opus, homines debent confiteri.

Quinta. Peccata contra duo vltima præcepta decalogi commissa, sunt prorsus a confessione secludenda.

Quælibet harum trium propositionum est in fide erronea, & impie confessionem dimidians.

Sexta. Nullo modo pręsumat homo confiteri peccata venialia.

Hęc dissuasio innuens pręsumptionis esse confiteri peccata venialia, est temerarii animi indicatiua, ab opere bono retractiua, & ideo perniciosa.

Septima. Non iustificamur operibus, neq; pœnitentiis aut confessionibus.

Hęc propositio, loquendo de operibus bonis fidem mediatoris non excludentibus, est erronea, pœnitentiæ & cõ-

fessionis contemptiua, & sanę diuinæ scripturæ intellige-
tię aduersa.

De absolutione.

Absolutio est efficax, non quia fit, a quocunq; tandē fiat, erret siue non erret: sed quia creditur. Propositio prima.

Crede fortiter te esse absolutum, & absolutus vere eris, quicquid sit de tua contritione. Secunda.

Esto per impossibile q confessus nō sit contritus, aut q sacerdos non serio, sed ioco absoluat, si tamē credat se esse absolutum, verissime est absolutus. Tertia.

Hę tres propositiones ad sensum scriptoris sunt falsæ, impię, ignoranter & difformiter ad sanam sacrę scripturæ intelligentiā asserrę. Et in hoc qđ dicitur, a quocunq; tādē fiat, erret, siue non erret: et in eo qđ subditur, nō serio, sed ioco absoluat, sunt piarum aurium offensiuę, sacramenti pœnitentiæ irrisorię, & conciliorum generalium determinationibus contrarię.

Quilibet sacerdos debet absoluere a pœna & culpa, aut peccat. Quarta.

Hæc propositio ad sensum scribentis est falsa, obseruationis & doctrinæ vniuersalis ecclesiæ in his quæ concernūt sacramentum pœnitentiæ contraria.

De satisfactione.

Peccata deus & semper & gratis remittit atq; condonat nihil a nobis inuicem requirens q̄ vt in posterum bene viuamus. Propositio prima.

Hęc propositio est a sententia sanctorum doctorum aliena, fideles, vana & stulta confidentia, a debita satisfactione pro peccatis retrahens, & hęretica.

Secunda. Sententia est apostoli pœnã & culpam simul finiri.

Tertia. De industria damnat propheta sententiam probãtium satisfactionem, dicens. Quoniã si voluisses sacrificium dedissem: holocaustis non delectaberis.

Quarta. Irridet Micheas propheta eos qui per opera satisfacere volunt.

Prima harum propositionum est in Paulum: Secunda in prophetã: Tertia in Micheam contumeliosa, & omnes falsę impię, & in spiritum sanctum blasphemę.

Quinta. Virtute clauium iactant quidam solui pœnas per diuinam iustitiam requisitas, quod non credo verũ nec probabitur.

Hęc propositio qua negat virtute clauiũ pœnas per diuinam iustitiam requisitas solui, est falsa, scandalosa, potestati clauiũ derogatiua, & in hoc ꝙ dicit qđ non credo verum, nec ꝓbabitur, est animi temerarii indicatiua, & arrogãtis.

Sexta. Commentum & futile cauillum est dicere quod dicunt quidã: quia sacerdos ignorat mensurã contritionis absoluendi, ideoq; forte nõ imponit tantam satisfactionẽ quãtam diuina iustitia requirit, ꝙ propterea necesse sit diuinæ iustitiæ satisfieri vel proprio opere vel indulgentiis.

Hæc propositio est falsa, ritui ecclesię & eius doctrinę aduersa, & pœnitentialis satisfactionis eneruatiua.

Septima. Pœna qua deus vult peccatum punire non potest auferri per hominem vel per Papam.

Hęc propositio est authoritati ecclesię a Christo cōcessæ impie & schismatice contrauenjens, & sapiens hęresim.

Huic materiæ annectitur vna propositio de Sacramentis in genere.

Hęretica sententia est qua sacramenta nouæ legis gratiam iustificantem dare dicuntur illis qui non ponunt obicem, cum sit impossibile sacramentum conferri nisi iam credentibus & dignis. Octaua.

Hęc ꝑpositio est falsa, temeraria, & ꝓsumptuose asserta.

De accedētibus ad eucharistiam.

Magnus & perniciosus error est, si quis accedat ad sacramentum Eucharistię ea nixus fiducia ꝙ cō fessus est, ꝙ non sibi conscius mortalis peccati, ꝙ orationes & præparatoria sua præmiserit: omnes hi iudicium sibi manducant & bibunt. Propō.I.

Hęc propositio est impia, a debita sacramenti suscipiēdi pręparatione maxime retractiua, ad desperationē inducēs & doctrinę Pauli contraria, nec fideles ea nixi fiducia secludunt diuinam misericordiam.

Probatio qua homo peccata sua discutit, atq; ponderat, non pertinet nisi ad insensatos & crassos sacramenti contemptores. Secunda.

Hęc propositio est temerarie, & arroganter asserta, impia, & scandalosa.

De certitudine charitatis habitę.

Propositio prima. Pessime docent theologi, quando dicunt, nos nescire quando sumus in charitate.

Hęc propositio, intelligēdo nescire certitudine fidei, de qua loquitur scribens, est falsa, sacris doctoribus dissona, & sanę intelligentię scripturæ.

Secunda. Caueat omnis Christianus ne vnq̃ incertus sit, an deo placeāt opera sua: qui enim sic dubitat, peccat, & perdit opera sua cuncta, frustraq; laborat.

Huiusmodi consiliū, loquendo de certitudine vt supra, est temerariū, perniciosum, & sacris eloquiis disforme.

De peccatis.

Propō. I. Iustus, in omni bono opere peccat.

Secunda. Omne opus bonum optime factum, est peccatum veniale.

Vtraq; harū propositionū est falsa, piarū aurium offensiua, ac bonorum operum infamatiua.

Tertia. Qz non omni tēpore pœnitemus, & resipiscimus, vitium est.

Hęc ꝓpositio, vt vitiū dicit culpā ad sensum scribētis est falsa, irratiōabil'r, & ex erroneo scripturę intellectu asserta.

Quarta. Hoc est mortaliū mortalissimū non credere se esse damnabili & mortali peccato obnoxiū coram deo.

Hęc propositio est falsa, impia, desperationis inductiua, & sapiens hęresim.

Quinta. Theologi docentes regula sua venialia peccata esse distincta a mortalibus, ad insaniā perditissime nituntur trahere hominū conscientias.

Hęc propoſitio eſt ſtulte & pręſumptuoſe aſſerta, ſacris doctoribus iniuria, & inquantum prætendit venialia non diſtingui a mortalibus, eſt hęretica.

De pręceptis.

Qui negat deũ nobis impoſſibile iuſſiſſe, peſſime facit, & q hoc falſum eſſe dicit, pluſq̃ peſſime facit. Propoſitio prima.

Hęc propoſitio eſt ſcandaloſa, impia, legis Chriſtianę infamatiua, ac authore Auguſtino in deum blaſphema.

Sola duo vltima decalogi pręcepta ſunt, quę a nullo quãtũlibet ſancto aliquo modo implẽtur: cætera omnia implent. Sed in his duobus manẽt rei & peccatores, quia nihil de iſtis implent. Secunda.

Hæc propoſitio eſt erronea, impia, in legem & legiſlatorem blaſphema, & in ſanctos contumelioſa.

Omne præceptũ dei magis poſitũ eſt vt oſtendat pręteritum & præſens peccatum, q̃ vt futurũ prohibeat. ſiquidem iuxta Apoſtolum, Per legem nihil niſi cognitio peccati. Tertia.

Huius propoſitionis prima pars eſt falſa, temerarie, & ſine ratione aſſerta. Secunda vero, ꝙ iuxta Apoſtolum per legem &c. eſt erronea, legi intentioniq; Pauli contraria.

Quia homini charitatem habenti nulla lex neceſſaria eſt, ideo per hoc præceptum, Sabbata ſanctifices, non opus pręcipitur, ſed quies. Quarta.

Iſtud pręceptum tertium Sabbata ſanctifices, ceſſauit proprie, immo omnia quoad perfectos Chriſtianos, quia iuſto non eſt lex poſita. Quinta,

Sexta. Infirmis qui nondũ ſunt mortificati ſecũdũ veterẽ hominẽ opus eſt, vt certis officiis, diebus, modis, occupẽtur, vigiliis, ieiuniis, orationibus, diſciplinis, & ſimilibus: quibus perueniãt ad profectũ interioris hominis. vt vbi corpus fuerit caſtigatũ, & in ſeruitutẽ fuerit redactũ, & mortificatę paſſiones: tũ ipſa ceſſent paulatim, & tantũ minuantur quantũ profecerit interior homo, adeo vt ſi perfectus fuerit illa omnino ceſſare debeant.

Quęlibet harum trium propoſitionũ pręcedentium, eſt ex erroneo ſcripturę intellectu aſſerta, iure in concilio Viẽnenſi contra Begardos reprobata, & hęretica.

De conſilijs euãgelicis.

Propoſitio prima. Illud verbũ Chriſti, Matthęi quinto, Qui te percuſſerit in maxillam dextrã &c. Et illud ad Romanos xii. Non vos defendentes chariſſimi &c. non ſunt conſilia, ſicut etiam multi theologi errare vidẽtur, ſed pręceptum.

Hæc propoſitio eſt falſa, legis Chriſtianę nimiũ oneratiua, & ſanę intelligentiæ ſcripturę aduerſa.

Secunda. Requirere coram iudice de iniuria reparationem Chriſtianis prohibitum eſt.

Hęc propoſitio eſt falſa, ſcandaloſa, iuri diuino, naturaliqꝫ diſſona.

Tertia. Quia Chriſtianus temporalia nõ debet amare, ideo propter ea non debet iurare.

Hęc propoſitio eſt in moribus erronea, & ſapiẽs hęreſim.

Iudęis ad libitum verum iurare est permissum. Quarta.

Hęc ꝓpositio si intelligatur ꝑmissum tāq̄ licitū, falsa est diuino pręcepto aduersa, & antiquus error Iudęorum.

De purgatorio.

Scriptura diuina tota prorsus nihil habet de purgatorio. Propositio prima.

Hæc propositio est falsa, Valdensium errorem maxime fouens, ac sanctorum patrum sententiæ repugnans.

Non videtur probatū esse ꝙ animę in purgatorio sunt extra statū meriti, seu augendę charitatis. Secunda.

Hæc propositio est falsa, temerarie & impie asserta: & in hoc qđ prætendit animas in purgatorio non esse extra statum meriti, seu augendæ charitatis, est in fide erronea.

Nō videtur probatū esse ꝙ ipsę aīæ in purgatorio sint de sua beatitudine certę & securę, saltē omnes. Tertia.

Hæc ꝓpositio est falsa, & pręsumptuose asserta: & in hoc qđ ꝑtēdit animas purgatorii nō esse certas de sua beatitudine, est traditioni ecclesiæ & doctrinæ sanctorū contraria.

Animę in purgatorio peccāt sine intermissione q̄diu horrēt pœnas & petūt requiē: quia q̄rūt q̄ sua sunt plusq̄ voluntatē dei, quod est contra charitatē. Quarta.

Hæc propositio est falsa, impia, purgandis animabus iniuria, & hęretica.

Imperfecta sanitas seu charitas morituri necessario secum fert magnum timorem, tātoq; maiorem quanto minor fuerit ipsa. Quinta.

Pœna purgatorii est pauor & horror damnationis & inferni. Sexta.

Vtraq; harum propositionum est falsa, temerarie, & sine ratione posita.

Septima. Probabile est aīas purgatorii prę cōfusione nescire quo statu sint, dānatę an saluatę: immo sibi vidētur iam ire in damnationem & descendere in lacum.

Octaua. Animę in purgatorio nihil aliud sentiunt q̄ incipere suam damnationem, nisi q̄ sentiunt nondū clausam post se portam inferi.

Vtraq; harum propositionum est falsa, piarum aurium offensiua, voluntarie & irrationabiliter posita, & statui animarum purgatorii iniuriosa.

Nona. Oēs animę in purgatoriū descēdentes sunt ĩpfectę fidei seu sanitatis: immo per quātācūq; ablationē pœnarū nō essent sanę nisi prius ab eis auferatē peccatū, id est imperfectio fidei, spei, & charitatis.

Hęc propositio quantum ad omnes partes est falsa, & temerarie asserta, ac sanę scripturarum intelligētię dissona.

De cōciliis generalibus.

Propō. I. Via iam nobis facta est eneruādi authoritatem cōciliorum & libere contradicēdi eorum gestis ac iudicandi eorum decreta.

Hæc propositio, si velit scriptor, licitum esse cuipiā concilii legitimi authoritati contradicere in iis quæ fidem & mores concernunt, est schismatica, & hæretica.

Secunda. Certum est inter articulos Ioannis Hus vel Bohemorum multos esse plane christianissimos & euangelicos, quos non possit vniuersalis ecclesia dānare.

Hæc ꝑpositio,loquēdo de articulis condēnatis,de qbus intēdit scriptor,est falsa,impia,& sacris conciliis iniuria.

Isti duo articuli,vnica est sancta vniuersalis ecclesia quę est p̄destinatorū vniuersitas, & vniuersalis sancta ecclesia tantū est vna sicut tantum est vnus numerus prędestinatorum:nō sunt Ioannis Hus,sed Augustini super Ioannem. Tertia.

Hæc propositio,ad Hussitarum intelligentiam, est falso Augustino attributa:articuli autem loquendo de ecclesia militante,de qua ibi fit sermo,sunt ꝑpositiones hęreticæ.

Iste articulus:duæ naturæ diuinitas & humanitas sunt vnus Christus:est a catholicis cōcedēdus.Et similiter ille:diuisio humanorum operum est ꝙ sunt virtuosa vel vitiosa,quia si homo ē vitiosus & agit quicq̄ vitiose agit, & si est virtuosus & agit quicq̄ virtuose agit. Quarta.

Hæc ꝑpositio est falsa,& ex ignorantia verę theologiæ asserta:primus autē illorū articulorū,scilicet duę naturæ &c.est ꝑpositio hęretica.Secūdus vero,scilicet diuisio humanorū operū &c.est propositio sapiens hęresim.

De spe.

Spes non prouenit ex meritis.

Hæc propositio est falsa,pręsumptionis inductiua,ac sacris scripturis difformis.

De pęna hęreticorum.

Hęreticos comburi est contra volūtatem spiritus. Propō.I.

Hæc ꝑpositio est falsa, contra voluntatē spiritus diuini asserta, & errori Catharorum & Valdensium consona.

De obseruatione legaliū.

Propositio Licet opera legis q̄cūq; fieri si ea requirat charitas fraterna modo nō lege cogente. quo casu licet etiā modo circuncidi sine periculo & cū multo merito.

Hęc propositio est Christianę legi inimica, Iudaicę perfidię fauens, & hęretica.

De bello cōtra Turcas.

Propositio Pręliari aduersus Turcas est repugnare deo visitāti iniquitates nostras per illos.

Hæc ꝑpositio vniuersaliter intellecta, est falsa, nec sacris eloquiis conformis.

De immunitate ecclesiasticorum.

Propositio Si Imperator vel Principes reuocent libertatē datam personis & rebus ecclesiasticorū, nō potest eis resisti sine peccato & impietate.

Hęc ꝑpositio est falsa, impia, schismatica, libertatis ecclesiasticę eneruatiua, ac impietatis tyrannicę excitatiua & nutritiua.

De libero arbitrio.

Propositio prima. Liberū arbitrium non est dominus actuum suorū.

Hęc ꝑpositio est falsa, sacris doctoribus, ac omni doctrinę morali aduersa, cum Manichęorum errore conueniens, ac hæretica.

Frustra garriunt sophistę actum bonum esse totũ a deo sed non totaliter. Secunda.

Hęc ꝓpositio est sanctis doctoribus eã ponentibus iniuria, Ambrosio potissimũ Augustino & Bernardo, quos hic Sophistas appellat: & quãtũ ad id qđ ꝓtendit actũ bonũ esse totaliter a deo, & nullo modo a libero arbitrio, est hęretica.

Liberum arbitrium dum facit quod in se est, peccat mortaliter. Tertia.

Hæc propositio est scandalosa, impia, in fide & moribus erronea.

Liberũ arbitriũ ante gratiam nihil valet nisi ad peccandum, non autem ad pœnitẽdum: ex Augustino de spiritu & litera. Quarta.

Hęc propositio, accipiendo gratiã pro gratia gratum faciente, de qua loquitur scriptor, est erronea, errori Manichęorum conformis, a sacris eloquiis aliena, peruerse & trũcate ex Augustino allegata.

Liberũ arbitriũ sine gratia tanto magis appropinquat iniquitati quãto fortius intẽderit actioni: ex Ambrosio. Quinta.

Hæc propositio, accipiendo gratiã vt prius, est falsa, piarum aurium offensiua, a bonis operibus retrahens: inique & mutilate ex Ambrosio excerpta.

De philosophia et theologia scholastica.

Philosophia Aristotelis de virtute morali, de obiecto, de actu elicito talis est quę nec in populo doceri possit, nec est ad scripturę intelligentiam vtilis, Propõ. I.

quia continet dũtaxat portenta verborum nõ niſi ad contentiones verborum conficta.

Hęc propoſitio quãtũ ad omnes ſuas partes, loquẽdo de philoſophia Ariſtotelis, in his maxime in quibus a fide nõ diſcedit, eſt falſa, & tanq̃ ab inimico ſcientiæ arroganter ac inſipienter aſſerta.

Secunda. Omnes virtutes morales & ſciẽtiæ ſpeculatiuę nõ ſunt verę virtutes & ſciẽtię: ſed peccata & errores.

Hæc propoſitio quãtum ad primã partẽ, ꝙ virtutes morales ſunt peccata, eſt eodem modo qualificãda, ſicut prius fuit illa qualificata: Opera quęcũꝗ ante charitatẽ ſunt peccata. Quãtum autem ad alterã, ꝙ ſcilicet ſcientiæ ſpeculatiuę ſunt errores, eſt manifeſte falſa.

Tertia. Theologia ſcholaſtica eſt falſa ſcripturę & ſacramẽtorum intelligentia, & exulem nobis fecit veram & ſynceram theologiam.

Hæc ꝓpoſitio eſt falſa, temerarie ſuperbe & aſſerta, ac ſanę doctrinę inimica.

Quarta. In ſermonibus Ioannis Tanleri lingua Teutonica cõſcriptis plus reperio, dicit Luther, theologiæ ſolidę & ſyncerę q̃ in vniuerſis omniũ vniuerſitatum ſcholaſticis doctoribus repertum eſt, aut reperiri poſſit in omnibus ſuis ſententiis.

Propoſitio quã Luther aſſerit, eſt manifeſte temeraria.

Quinta. Quo tempore cœpit theologia ſcholaſtica, id eſt illuſoria, eodem euacuata eſt theologia crucis: ſuntꝗ omnia plane peruerſa.

Hæc ꝓpoſitio eſt falſa, pręſumptuoſe, & irrationabiliter aſſerta, & errori Bohemorum damnato vicina.

Libidinem corrũpendę scripturę iã ferme trecẽtis annis patitur ecclesiã incõparabili damno suo a doctoribus scholasticis. Sexta.

Hęc propositio est falsa, stulte, & malitiose asserta.

Theologi scholastici Aristotelis moralia prorsus cõuenire mentiti sunt cum Christi Paulíq; doctrina. Septima.

Hac ꝓpõne ĩpudẽter, & falso theologis scholasticis ĩposuit scriptor, qđ nõ est verũ, q̃q̃ satis exploratũ sit in multis moralia Aristotelis, cũ Christi Paulíq; doctrina cõsentire.

Additur & hæc ex lib. de Captiuitate Babylonica.

In Dionysio q scripsit de Cęlesti Hierarchia, nihil ferme est solidę eruditionis. Et oia sunt illius meditata ĩ p̃fato libro, ac somniis ꝓpe simillima. In theologia autẽ mystica ꝑniciosissimus est, Platonizans magis q̃ Christianizans: in ecclesiastica vero Hierarchia ludit allegoriis, qđ est otiosoꝝ hoim studiũ. Propositio Lutheri.

Hęc ꝓpositio est falsa, temerarie & arrogãter asserta, ac viro sancto ĩsigni eruditione claro iniuria, quẽ Damascen⁹ diuinũ Areopagitã, Pauli discipulũ, sacerrimũ & deiloquẽtissimum appellat.

¶Conclusio.

NOS Pręfati Decanus & facultas p̃missa hæc oia tempore multo examinauimus, & qd de his sentirẽt ecclesiastici doctores, qd ve sacra cõcilia, qd insuper in scripturis sanctis caueret᷑ diligẽter annotauim⁹: post qđ examẽ nostrũ apud Sorbonã sępius frequẽtatũ, in plerisq; nr̃is ꝑ iuramẽtũ vocatis & factis cõcionibus vnanimi oim voto fuerũt cõclusa, ac definita: ac demũ ex abũdãti in gñali nr̃a cõgregatione apud sanctũ Mathurinũ

rursus p iuramẽtum sup his specialiter denũciata hęc eadẽ post missam more nostro celebratã iterũ cõcordi oim assensu laudauimus, cõprobauim9, ac rata habuimus, laudamus, cõprobamus, & rata habemus & vt talia incõcusse tenenda nostra sentẽtia diffinimus, & decernim9. Acta fuerũt hęc anno ab incarnatione dñi. MDXXI. die. XV. Aprilis, in quorũ testimoniũ iis instrumẽtis quæ in Archiuis & scriniis nostris ad ppetuã rei memoriã reseruamus Sigillũ nostrũ duximus apponẽdũ. Ad quorũ exemplar de mandato nostro pręsentes fuisse fideliter impressas testamur.

NOSQVE IOANnes le Coincte Rector vniuersitatis Parisieñ. Mandauimus Iodoco Badio Ascensio Librario nr̃o iurato in virtute fidei nobis pręstitę, vt hãc definitionem sedulo imprimat: Prohibemusq; cęteris omnibus tam iuratis q̃ non iuratis sub pœna amittendi officii, si quod a nobis habẽt, & sub pręiudicio nũq̃ habendi, si nullum habẽt, & summę indignationis vniuersitatis, ne biennio proximo sine nostra authoritate imprimant, aut alibi impressam vęndant: hancq; cautionem nominis nostri subscriptione, quod sigilli instar habere volumus, duximus muniendam. Io. Le Coincte.